







5

[illegible]

11/3.600


FRANC. BACONII
EXEMPLUM
TRACTATUS
DE
JUSTITIA
UNIVERSALI.

FRANC. BACONII
EXEMPLUM
TRACTATUS
DE
JUSTITIA
UNIVERSALI,
SIVE
DE FONTIBUS JURIS,

Extractum ex ejusdem Authoris Opere de dignitate & augmentis Scientiarum.

PARISIIS,
Typis VINCENT, viâ S. Severini.

M DCC LII.
Cum Approb. & Perm. Regis



PRÆFATIO.

DEESSE aliquid Jurisprudentiæ, si mens læva non est, satis monent nos repetita undequaque signa ministrorum artis, opem poscentium. In ipso quidem ingressu tirones huc & illuc circumspectant, an detur aliquis dux viæ. Sed qui facem præferunt, ipsi in eodem labyrintho, uno tantum aut altero gradu provectiores, indicant tentatos, sed nondum pervios aditus, & palam profitentur se pactæ fidei reos non futuros, si didicerint juvenes libros evolvere, deinde disjectis non eradicatis ve-

pribus, in quamcumque posterunt lucem evasuri. Inde desperatio quædam, perniciosum inertiæ nutrimentum; inde desertæ scholæ, & despecta sterilis tirocinii rubrica. Tum ii quos grandiores necessitas ad negotia vocat, vitium ministrorum arti improperantes, vile habent ministerium malè cognitum, & temporis non bene deperditi, queruntur dispendia. Denique in fructu infausti hujus laboris, discordes sententiæ, nunquam tutò promissus judiciorum eventus, cautiones imperfectæ, fortassis etiam aliquando ex ipsis remediis vulnera, inter cives non satis certa fides, spes audaciam fovens, uno verbo pax inquieta.

Atqui videbatur aliud hu-

manæ ſocietati polliceri civilis ſapientia. Unde ſic de honeſtata virtus? Unde ſic vexata ingenia? Scilicet, quod & in omnibus ferè diſciplinis moralibus videre eſt, cùm urgerent humanæ neceſſitates, & res remedium poſceret, nec differri ſe malum ſineret, ut fieri potuit, ex tempore vulneri cicatrix obducta eſt. Ergo ars ſcientiam præceſſit, cùm è contra debuiſſet ſcientia artem generare. Et cùm radix mala intùs concluſa fiſtulas ageret, nova per experimenta unicuique plagæ nova cicatrix inducebatur. Tum in mentem non venit, jam longo remotus intervallo error ille primus, qui rerum cauſas & principia confuderat. In his quæ ſub oculis erant, quæſita eſt ſcientia, & portentoſa

fœtu, filia matrem ſuam edidit.

Sic cùm de condendâ Romanâ civitate ageretur, & de paciſcendo fœdere quo poſſet Reſpublica quæpiam coaleſcere, nil promptiùs viſum eſt quàm ſi ab exteris gentibus exempla arceſſerentur. Hoc artificio conſtructæ leges: ſed in ipſâ ſanctionis horâ, exeruit ſe iniquitas talis, quàm nec ipſi legum famuli, dum ſeſe omni arte obcæcant, dum reluctantem naturam compedibus vincunt, potuerunt diſſimulare, & cùm juratum eſſet ne ulla legis ſyllaba intercideret, mentem ejus quæſitis coloribus & interpretatione detorquebant, nullibi ſincero magis utentes judicio, quàm ubi nulla lex, atque ibi etiam conſulentibus ex ob-

vio ſenſu, ſimplex boni viri arbitrium, non exploratam methodo certâ veritatem exponentes. Inde luxuriantia in immenſum volumina, ut pudor eſſet Juſtiniano, onere hoc vexari mentes hominum civilium. Inde non dubia majorum tam factis quàm ſcriptis fides, certiſſimum fluctuantis ingenii indicium, & obvia quæque arripientis.

Senſit malum Juſtinianus: primam mali originem & totam hiſtoriam non novit: & cùm videret non alium eſſe veritatis caracterem præter Juriſconſultorum teſtimonia, in his verò teſtimoniis torqueri ingenia, tum propter difficilem diſquiſitionem, tum propter omnimodum defectum in caſu adverſantium ſibi ſententiarum, hos obices di-

movit, disquisitionis materiam intra spatium satis breve conclusit, expunxit contraria: legem fecit quod priùs opinio fuit: atqui longè aliud est in condendis legibus artificium. Sed & id ad artem pertinet, nec potest nisi methodo certâ definiri: ergo progrediamur ultrà.

An eodem morbo laboret Jurisprudentia nostra, nemo problema reputet. Non plura volumina, non discordes magis sententiæ, non difficilior disquisitio, non infeliciora studia noctem fecerunt indignante Justiniano. Atqui fervet intereà, & adversus vincula sua colluctatur mens humana, nullam habitura requiem nisi in solidâ & exploratâ veritate, fructum suum, per applicatam homi-

num commerciis utilitatem, daturâ.

Nec fas ſit cuipiam, in his, publicam authoritatem incuſare. Ad ipſos, ad ſolos artis miniſtros culpa pertinet Juriſconſultorum miniſterium fuit, ut errorum ſuorum ipſi retegerent originem, & quam profitebantur artem ſuis veſtirent ornamentis, & ipſi auctoritatem publicam, rerum pondere, & perſpicuâ utilitate ſollicitarent.

Extitit apud nos Carolus Molinæus, cui commune ſuffragium primam in hâc palæſtrâ coronam etiam nunc defert: ſcilicet cùm jaceret ante oculos ars æqui & boni, in terris oppreſſa gravi ſub jugo traditivæ ſcientiæ, nec licitum eſſet aut improbare quod à pluribus dictum eſſet, aut

probare id in quo author nemo laudaretur, ipſe mortales tollere contra eſt oculos auſus, & ſolem propiùs intueri, homines ad ſenſum intimum, & ingenitum à naturâ lumen revocans. Sed nec adhuc veri fontes reſeravit, & ſatis ſe præſtitiſſe ratus eſt, ſi vidiſſet ipſe, & viſa publici juris feciſſet. Cæterùm de ipſâ ſcientiâ, & de inveſtigandâ veritate nihil: unde factum eſt ut fieret ipſe novæ alterius traditivæ author. Sed erit traditiva qualiſcumque infidelis & inquietam hominibus paratura pacem. Unde tot rubricæ quibus ars dehoneſtatur, cùm, extrà ſuos caſus, in alios ſenſus tranſlatæ, nil niſi vulnera inferre poſſint. Inde adagium illud, ſummum jus, ſumma injuria facto nimis

comprobatum, cùm tamen impossibile sit idem esse & non esse, & jus cum injuriâ consistere.

Procliviorem fecit gradum Baconius. Dum ingens laborum mentis humanæ spatium dimetiretur, & distribueret, non illum fefellerunt nomina, non delusit auctoritas quæpiam. Sed & ipse hominum penuriam non omninò novit, & de primis fundamentis securus, perspicuum fecit quibus ornamentis posset augeri & ditari ædificium, sed quo posset refici modo, impositum solo non satis tuto, sivit nos ignorare.

Sic res ad Cartesii tempora devenêre, qui quidem nullibi, meo sensu, felicior fuit quàm in aperiendo ad veritatem tramite, nullibi utiliori doctrinâ exuberans quàm in ex-

ponendâ methodo. Non ille quidem civilis Philoſophiæ præceptor, ſed nullum argumentum non tangit, dum hominem ad ſe & ſuum intuitum revocat, & in illo gradu ſiſtit, quo Socratem perduxerat aſſiduus labor, ſcire ſe nihil: dum commonet temerarium eſſe aſſenſum quem non extorſerit evidens ſcientia, & non aliam ſcientiam eſſe quàm perceptam ſenſu intimo veritatem, & reliquas hujus ſyſtematis partes, quas quidem longiùs ſit hic exponere. Et quidem arripuere id omnes, & exinde penè mutatâ ingenii humani formâ, & ipſum forum puduit infantiæ ſuæ. Inde rationi redditus calculus ſuus, inde pro majore habitus qui ſinceriorem veritatem oſtenderet. Fuit

hæc laus, ni fallor, ſublimis illius Oratoris, cujus tantum vivit & vivet in ſubſelliis nomen. Si quæras quonam artificio, quibus fulguribus, tonitrubus, mentes commovit, intende animum & videbis intima naturæ ſcrutantem viſcera, robur ſuum ex denudatâ veritate ſumentem, ut ſatis ſit offuſas diſjeciſſe nubes, & ſuis rem exhibuiſſe coloribus. Fulmina fecit veritas ipſa, & divinus ille fulgor, cui mens humana reluctari nequit, unde voluptatem omnem, imò & omnem quietem habet.

Sed per hæc nihil ferè adhuc Philoſophiæ civili acceſſit, præter novum criterium, omnia deſtructurum, nihil ædificaturum, ac proinde parum utile, forſan noci-

vum dum somnia nostra nobis eripit, & nos paupertatem nostram edoctos pudore suffundit. Vexabant nos vincula nostra, sed vexando qualem qualem faciebant. Necesse est intrà fines aliquos coerceri vagum opinionum arbitrium, & si aliter fieri non possit sisti vel per fictitias moles exundantem impetum. Et id factum probat. Simul atque rupti sunt obices, per imminutam ante gestorum auctoritatem, & vulgatum est rationem esse exemplis potiorem, exinde jam nulla veritas certa, omnia in problemata deducta, & datum populis consilium, si quis iniquitatem moliatur, jure agat, & in aleâ speret, si contrà suum bonâ fide defendat, concludat judicio privato litem.

Ergone uſque adeò infelix hominum conditio, ut nihil boni ſperare poſſint & nec dum errores ſuos vident, ad veritatem poſſint regredi? Haud ita ſanè: exiſtit veritas: exiſtit aliqua ad veritatem via, & hæc hominibus non impervia. Sed quò aberravimus magis, eò difficilior regreſſus. Inſtauretur aliquando iter malè inchoatum. Quocirca rectè à Carteſio moniti, illuc regrediamur unde temerè progreſſi ſumus, ut ſi extrà veritatem, ſaltem & extrà errorem ſimus. Mox tramitem novum inſtituamus, ut infantes, ut in novo ſolo poſiti, omnia plena periculi metuentes. Principia nobis prima offeret ſenſus intimus, & inditum hominibus à naturâ lumen. Sed nec in eo nobiſ-

metipsis fidamus, ne illudant nobis oculorum nostrorum morbi. Is demùm erit axiomatis indúbitati caracter, si radiis hujusmodi refulgeat, ut nemo sit tam pingui natus Minervâ cujus oculos non perstringat. Nec sit timor posse deficere principia hujusmodi & relinqui nos omni ope destitutos. Non hominum conventio, non mera nomina, non fortuitum discrimen justum ab injusto, utile ab inutili separant; in proposito tuendi sacri illius fæderis, quo edomiti homines amicè inter se vivunt, quædam prosunt, quædam nocent, id sensus intimus satis demonstrat. Ergo nullus alius sit metus, nisi ne à recto tramite declinetur. Sufficiet unum aut alterum hujusmodi axioma, cujus fæcunda radix surculos

agat, nos ad præsens quodque negotium satis deducturos, modo non agendi præceps quoddam votum nos temerè trahat in intentatos recessus.

Non quod id velim consilium dare, ut abjiciatur quodcumque cæco labore collectum est. Seponatur dumtaxat, ut materia iterum tractanda, & ita futura utilis si fundamentis naturalibus aptari possit: modo non imponatur nobis jugum traditivæ scientiæ, priusquam quispiam nos edocuerit quæ sint illius traditivæ juræ, quis illius locus, unde ejus auctoritas, quomodo rationi non confligetur. Præcipua est & erit semper apud homines rationis & naturæ vox, imò & unica. Opprimit tyrannico imperio mentes, & in servi-

tutem redigit Pythagoricorum illud, αὐτὸς ἔφα. In omni novitate ſuſpicio eſt temeritatis & imprudentiæ: eſto: ſed id ſaltem nobis ediſſere. E contrà audio malis veteribus nullam per tempus accedere auctoritatem; quæ quomodo conſonent, quomodo ad communes conſequentias redigi poſſint, ni fallor, ſcire operæ pretium eſt: ſcilicet liberum indidit homini judicium altiſſimus rerum author, nullâ vi inflectendum, niſi ſe ultrò veritati ſubmittat & quoquo te modo vertas, nunquam tutiùs hominem reges quàm per informatam rectè conſcientiam.

Tum verò ſi quis eam viam præierit, det nobis aliquando elementa ſcientiæ, quæ nobis huc uſque defuerunt: ele-

menta voco collectionem principiorum, cum defluentibus Corollariis, quæ nos à Cartesianâ inscitiâ, persuadendo semper, & exhibitâ verâ idearum formatione usque eò perducent quò nos perduci necesse est, ut deinde possimus, nullo jam monente, quod supererit viæ perlustrare. Porriguntur nobis institutionum libri: nomen authores non fefellit, dum institutiones non elementa dixêre. Ostentatur prospectus ædificii, variæ ejus partes distribuuntur, distinguntur. Sed unde desumatur materia, quâ arte coalescat, nemo nos docet, & tamen jubemur artificii peritiam præstare. Detur ergo nobis, non variorum casuum decisio, (id quippe artis vitium est quod ab initio ex de-


cisionibus petita principia, non ex principiis petitæ decisiones) detur nobis, certa principiorum catena, quæ ab evidentibus, per non minùs evidentes consequentias, cum incognitis cognita ligans, nos in lucem trahat.

Videntur hanc penuriam nostram sensisse nuperrimis temporibus, scriptores nonnulli qui vel primæva juris naturalis principia, vel reseratam penitùs mentem legum, titulo operis pollicentur, quorum quidem laudi detrahere, non est ex proposito nostro, sed an votum nostrum impleverint, res ipsa judicium faciat. Affulgetne nobis exinde lux clarior? Quæ subducta est disputationi & problematibus materia? Scilicet longè nimis à nostris


moribus & Commercio civili, tractant quæ vel scire nefas, vel planè inutile est, aut verò quasi revelatâ eis veritate, sed revelationis suæ testes ipsi velut ægri somnia vanas fingunt species, ut nec pes nec caput uni reddatur formæ.

His ita positis, dum non sufficiunt vires majora impertiri auxilia, visum est aliquo modo Societati civili & Justitiæ consultum, si erueretur è tenebris opus illud qualecumque Baconii. Laudatur à multis, paucissimis notum forte Baconii ingenium, cùm propter immensam sermonum varietatem, nemo se non arbitretur in extraneo solo positum. Non ideò proponitur, quod possit inflammatam veri sitim restin-

guere, ſed exemplum magnum eſt, imò & adjumentum, quid viderit, quid ſenſerit inter denſiſſimas tunc temporis tenebras audax & religioſus veritatis indagator.



EXEMPLUM



EXEMPLUM
TRACTATUS
DE JUSTITIA
UNIVERSALI,
SIVE
DE FONTIBUS JURIS,
In uno titulo per Aphoriſmos.

PROŒMIUM.

QUI de Legibus ſcripſerunt, omnes vel tanquam Philoſophi, vel tanquam

Juriſconſulti, argumentum illud tractaverunt. Atqui Philoſophi proponunt multa, dictu pulchra, ſed ab uſu remota. Juriſconſulti (1) autem, ſuæ quiſque patriæ legum, vel etiam Romanarum, aut Pontificiarum placitis obnoxii & addicti, judicio ſincero non utuntur; ſed tanquam è vinculis ſermocinantur. Certè cognitio iſta ad viros civiles propriè ſpectat, qui optimè norûnt, quid ferat ſocietas humana, quid ſalus populi, quid æquitas naturalis, quid gentium mores, quid

rerumpublicarum formæ diversæ, ideòque possunt de legibus, ex principiis & præceptis, tam æquitatis naturalis, quam politices, decernere. Quamobrem id nunc agatur, ut fontes justitiæ, & utilitatis publicæ, petantur, & in singulis juris partibus, character quidam & idea justi exhibeatur; ad quam particularium regnorum & rerumpublicarum leges, probare, atque inde emendationem moliri quisque, cui hoc cordi erit & curæ, possit; hujus igitur rei, more nostro, exemplum

in uno titulo proponemus.

---

(1) An ergo jurisconsultorum & hominum civilium diversus ordo? An, contra legum Romanarum testimonium, discrimen aliquod jurisprudentiam à civili sapientiâ separat? Nequaquam sanè, si res ipsa inspiciatur. Jus est ars æqui & boni. Æquum vocamus quod utile est tuendo societatis humanæ fœderi. Stet fœdus illud inconcussum. Gens genti, homini homo sint amici. Unusquisque suo in loco feliciter degat. Hæc sunt vota jurisprudentiæ. Hæc per adæquatam justitiam conatur adoperari, dum suum unicuique tribuitur, dum æqua lanx omne commercium regit, dum fines unicuique sui præscribuntur, dum conclamatur in eos qui se non sinunt his carceribus contineri. Erit ne aliquis ita procax ut aliud pro-

positum audeat confiteri ? An non delendus è medio, quasi publicus humani generis hostis, qui se sacri hujus fœderis contemptorem audeat profiteri ? Ergo quidquid fingant sibi, non satis profundi veritatis, in hâc re, indagatores, nulla est alia politice quàm perfecta æqui & boni meditatio ; sed eos quos frequens in negotiis civilibus ministerium jurisconsultos vocare nos cogit, longè ab hinc & studia sua & animos convertisse, fateamur necesse est. Inde vera nimis illa jurisconsultorum nostrorum, quos veriùs Pragmaticos dixeris à civilibus hominibus distinctio.






APHORISMUS I.

IN ſocietate civili, aut lex, aut vis valet. Eſt autem & vis quædam legem ſimulans ; & lex nonnulla magis vim ſapiens, quàm æquitatem juris. Triplex eſt igitur injuſtitiæ fons ; vis mera ; illaqueatio malitioſa prætextu legis ; & acerbitas ipſius legis.





APHORISMUS II.

FIrmamentum juris privati tale eſt: qui injuriam facit, re, utilitatem aut voluptatem capit, exemplo, periculum. Cæteri utilitatis aut voluptatis illius participes non ſunt, ſed exemplum ad ſe pertinere putant. Itaque facilè coeunt in conſenſum, ut caveatur ſibi per leges; ne injuriæ per vices ad ſingulos redeant (2). Quod ſi ex ratione temporum, & communione culpæ, id eveniat, ut pluribus &


potentioribus per legem aliquam, periculum creetur, quam caveatur, factio solvit legem; quod & sæpe fit (3).

---

(2) Adde quod delatum cuipiam in re suâ judicium jus cum injuriâ miscebit; nec licebit civibus quiescere nisi armatis velut inter hostes: atqui non potest sic consistere respublica.

(3) Cum hujusmodi mala sint ultra vires remedii, si contigerint, expectetur eventus, ut in terræ motu, in procellâ, sed præcaveantur modis omnibus, & hæc est connexio hujus Aphorismi cum sequenti.






APHORISMUS III.

AT jus privatum, ſub tutelâ juris publici, latet. Lex enim cavet civibus, Magiſtratus legibus. Magiſtratuum autem auctoritas pendet ex majeſtate imperii, & fabricâ politiæ, & legibus fundamentalibus. Quare, ſi ex illa parte ſanitas fuerit, & recta conſtitutio, leges erunt in bono uſu; ſin minùs, parum in iis præſidii erit.






APHORISMUS IV.

NEque tamen jus publicum, ad hoc tantum ſpectat, ut addatur tanquam cuſtos juri privato, ne illud violetur; atque ut ceſſent injuriæ; ſed extenditur etiam ad religionem, & arma, & diſciplinam, & ornamenta & opes, denique ad omnia circa *bene eſſe* civitatis (4).

---


(4) Scilicet non ſatis eſt arceri mala: perfectus labor etiam bona procurare debet.



APHORISMUS V.

FInis enim & ſcopus, quem leges intueri, atque ad quem, juſſiones & ſanctiones ſuas, dirigere debent, non alius eſt, quàm ut cives feliciter degant. Id fiet, ſi pietate & religione rectè inſtituti; moribus honeſti; armis adverſùs hoſtes externos tuti; legum auxilio adverſùs ſeditiones, & privatas injurias muniti; imperio & magiſtratibus obſequentes: copiis & opibus locupletes & florentes fue-

rint. Harum autem rerum instrumenta & nervi sunt leges.



APHORISMUS VI.

ATque hunc finem optimæ leges assequuntur, plurimæ verò ipsarum aberrant. Leges enim miris in modum, & maximo intervallo inter se differunt, ut aliæ excellant; aliæ mediocriter se habeant; aliæ prorsùs vitiosæ sint. Dictabimus igitur pro judicii nostri modulo, quasdam tanquam


quam legum leges; ex quibus informatio peti possit, quid in singulis legibus, benè aut perperam positum aut constitutum sit.



APHORISMUS VII.

ANtequam verò ad corpus ipsum legum particularium deveniamus; perstringemus paucis, virtutes & dignitates legum in genere. Lex bona censeri possit, quæ sit intimatione certa; præcepto justa; executione commo-

da; cum forma politiæ congrua; & generans virtutem in ſubditis.



De prima dignitate legum, ut ſint certæ.

APHORISMUS VIII.


LEgis tantùm intereſt ut certa ſit; ut abſque hoc nec juſta eſſe poſſit. Si enim incertam vocem det tuba, quis ſe parabit ad bellum? Similiter ſi incertam vocem det lex, quis ſe parabit ad parendum (5)? Ut moneat

igitur oportet, priusquàm feriat. Etiam illud rectè positum est, optimam esse legem quæ minimum relinquit arbitrio Judicis : id quod certitudo ejus præstat.

---

(5) Quæ enim pax est si veteribus jurgiis, novum de ipsâ lege jurgium addatur ?






APHORISMUS IX.

DUplex legum incertitudo: altera ubi lex nulla præſcribitur (6), altera ubi ambigua & obſcura. Itaque de caſibus omiſſis à lege, primò dicendum eſt; ut in his etiam inveniatur aliqua norma certitudinis.

---

(6) Rectè ne dixeris incertam legem quæ nulla eſt ? Nec de verbis ludimus, dum id conquerimur. Videlicet, inde contigit ut dum omnia ad legem refert hic author noſter, ſub titulo caſuum à lege omiſſorum, totam juſtitiæ & æquitatis artem ſpatio nimium brevi concludat, omnes artis fontes

in extendendâ, explicandâ aut applicandâ lege reponat, cum ante legem ipſam ſint longè antiquiora principia, quibus ſi non apprime congruat, injuſta eſt, quod & ipſe ſenſit dum ait ſuprà legem debere eſſe *præcepto juſtam.* Scilicet continet lex ſcriptum de judicatâ alicujus regulæ æquitate teſtimonium. Quæ extrà regulam ſint, quæ intrà videre eſt. Sed in iis quæ extra regulam ſunt integra eſt quæſtio ſuis terminanda principiis, ut conficiatur lex alia ſi id evidens ratio videatur expoſcere, ſecùs naturali res permittatur arbitrio, tantummodò aquitas legem, non lex æquitatem generet. Sepoſitâ ergo authoris mente, intelligantur hic caſus omiſſi à lege, non caſus in quibus lex nulla perſcripta eſt, ſed caſus legis finitimi, qui verbis legis non reguntur, & de quibus utrum mente legis regi non debeant, ambigitur.



De casibus omissis à lege.

APHORISMUS X.

ANgustia prudentiæ humanæ, casus omnes, quos tempus reperit, non potest capere (7). Non rarò itaque se ostendunt casus omissi & novi. In hujusmodi casibus, triplex adhibetur remedium, sive supplementum: vel per processum ad similia; vel per usum exemplorum, licet in legem non coaluerint, vel per jurisdictiones quæ sta-


tuunt ex arbitrio boni viri, & ſecundùm diſcretionem ſanam; ſive illæ curiæ fuerint prætoriæ (8), ſive cenſoriæ (9).

---

(7) Id ad anguſtiam prudentiæ humanæ non retulerim: ſcilicet non id agitur in lege ut caſus varii, quos *ſpecies* vocant ſuam inveniant in ipsâ lege definitionem non magis quàm in geometriæ theorematibus ut problemata ſolvantur. Satis eſt ſi de principiis lis dirimatur, ut perſpicuum ſit unde poſſit ſumi exordium. Cæterùm lex nulla facere poteſt ut non ſit in unâquaque ſpecie circumſtantiarum tum à perſonis, tum à temporibus, tum à locis ponderatio, & de applicandâ lege inevitabilis quæſtio.

(8) De hominum commercio & juribus.

(9) De moribus: exponitur infrà.



De processu ad similia, & extensionibus legum.

APHORISMUS XI.


IN casibus omissis; deducenda est norma legis à similibus; sed cautè, & cum judicio. Circa quòd servandæ sunt regulæ sequentes. Ratio prolifica, consuetudo sterilis esto, nec generet casus. Itaque quod contra rationem juris receptum est, vel etiam ubi ratio ejus est obscura, non trahendum est

ad conſequentias (10).

---

(10) Atqui *pergis pugnantia ſecum jungere* dum admiſſi principii evidentem conſequentiam rejicis. Ergo convellatur penitùs quod contra juris rationem receptum eſt. Si autem ratio obſcura eſt, obſcura eſt pariter conſequentiæ æquitas; veritas in periculo eſt ſi obſcuris innitamur.






APHORISMUS XII.

BOnum publicum insigne, rapit ad ſe caſus omiſſos. Quamobrem, quando lex aliqua reipublicæ commoda notabiliter & majorem in modum intuetur & procurat, interpretatio ejus extenſiva eſto & amplians (11).

---

(11) Bonum publicum ſatis per ſe vim legis habet, illud ego æquitatem voco juxta illud Horatii,

Ipſa quoque utilitas juſti prope mater & æqui.



APHORISMUS XIII.

DUrum est torquere leges; ad hoc ut torqueant homines. Non placet igitur extendi leges pœnales, multò minùs capitales, ad delicta nova. Quod si crimen vetus fuerit, & legibus notum; sed prosecutio ejus incidat in casum novum, à legibus non provisum; omninò recedatur à placitis juris, potiùs quàm delicta maneant impunita (11).

(12) Scilicet non erit in hoc casu ex lege pœna, sed ex æquitate, quæ communis omnium legum mater est.



APHORISMUS XIV.

IN ſtatutis, quæ jus commune (præſertim circa ea, quæ frequenter incidunt, & diù coaluerunt) planè abrogant, non placet procedi per ſimilitudinem ad caſus omiſſos. Quando enim reſpublica totâ lege diù caruerit; idque in caſibus expreſſis; parùm periculi eſt, ſi caſus omiſſi expectent remedium à ſtatuto novo (13).

---

(13) Jus commune ſtatuta circumſcribit; quo jure ergo finitima ſtatuti regantur, quærere non eſt cùm in jure communi ſint.


APHO-



APHORISMUS XV.

STatuta, quæ manifestò temporis leges fuêre, atque ex occaſionibus reipublicæ tunc invaleſcentibus natæ, mutatâ ratione temporum, ſatis habent, ſi ſe in propriis caſibus ſuſtinere poſſint: præpoſterùm autem eſſet, ſi ad caſus omiſſos ullo modo traherentur.





APHORISMUS XVI.

CONſequentiæ non eſt conſequentia: ſed ſiſti debet extenſio intrà caſus proximos. Alioqui labetur paulatim ad diſſimilia; & magis valebunt acumina ingeniorum, quàm auctoritates legum (14).

(14) Atqui conſequentia ſatis explorata, jam non conſequentia eſt, ſed principium & ratio offenditur ſi admiſſi principii rejicitur conſequentia. Sola judicii temeritas lapſum ad diſſimilia faciet. Neque enim poteſt eſſe diſſimilis conſequentia principio cui benè connectitur. Genus eſt quoddam ſterilitatis, fœtus tantùm ſteriles edere, & progeniem ſuam non daturos.



APHORISMUS XVII.

IN legibus & ſtatutis brevioris ſtili, extenſio facienda eſt liberiùs. At in illis, quæ ſunt enumerativa caſuum particularium, cautiùs. Nam ut exceptio firmat vim legis in caſibus non exceptis; ita enumeratio infirmat eam, in caſibus non enumeratis.





APHORISMUS XVIII.

STatutum explanatorium claudit rivos ſtatuti prioris; nec recipitur poſteà extenſio in alterutro ſtatuto. Neque enim facienda eſt ſuperextenſio à judice; ubi ſemel cœpit fieri extenſio à lege (15).

(15) Quod enim non includit ſtatutum, dum ſe dicit omnia includere, ſatis excludit. Et hoc facit regulam *incluſio unius eſt alterius excluſio.*





APHORISMUS XIX.

SOlemnitas verborum & actorum, non recipit extensionem ad similia (16). Perdit enim naturam solemnis, quod transit à more ad arbitrium : & introductio novorum corrumpit majestatem veterum.

---

(16) Scilicet si in verbis aut actis sit solemnitas, non in ipsâ re. Jure quidem communi variæ dicendi aut agendi formulæ vice mutuâ funguntur : satis est si præstetur quod præstari lex voluit : nisi & de modo præ-

ſtandi lex, peculiari ſtatuto, præceptum fecerit: non quod unquam *lex verbis imponatur*, ſed fieri poteſt ut mentem legis alia verba non fideliter exprimant, quâ de re ipſius legis eſt judicium.





APHORISMUS XX.

PRoclivis est extensio legis ad casus post natos, qui in rerum naturâ non fuerunt tempore legis latæ. Ubi enim casus exprimi non poterat, quia tunc nullus erat, casus omissus habetur pro expresso, si similis fuerit ratio (17).

Atque de extensionibus legum, in casibus omissis, hæc dicta sint: nunc de usu exemplorum dicendum.

(17) In casibus hisce posthumis silentium legis rationem dubitandi non facit.



De exemplis & uſu eorum.

APHORISMUS XXI.

DE exemplis jam dicendum eſt, ex quibus jus hauriendum ſit, ubi lex deficit. Atque de conſuetudine, quæ legis ſpecies eſt: deque exemplis, quæ per frequentem uſum in conſuetudinem tranſierunt, tanquam legem tacitam, ſuo loco dicemus. Nunc autem de exemplis loquimur, quæ rarò & ſparſim interveniunt, nec in legis vim evaluerunt;

quando, & quâ cautione, norma juris ab ipsis petenda sit, cum lex deficiat.



APHORISMUS XXII.

EXempla à temporibus bonis & moderatis petenda sunt; non tyrannicis aut factiosis, aut dissolutis. Hujusmodi exempla temporis partus spurii sunt; & magis nocent quàm docent.






APHORISMUS XXIII.


IN exemplis, recentiora habenda ſunt pro tutioribus. Quod enim paulò ante factum eſt, undè nullum ſit ſecutum incommodum, quidni iterùm repetatur? Sed tamen minùs habent autoritatis recentia: & ſi fortè res in meliùs reſtitui opus ſit, recentia exempla magis ſeculum ſuum ſapiunt, quàm rectam rationem.





APHORISMUS XXIV.


AT vetuſtiora exempla, cautè, & cum delectu recipienda: decurſus ſiquidem ætatis multa mutat; ut quod tempore videatur antiquum, id perturbatione, & inconformitate ad præſentia, ſit planè novum. Medii itaque temporis exempla ſunt optima, vel etiam talis temporis quòd cum tempore currente plurimum conveniat; quòd aliquando præſtat tempus remotius; magis quàm in proximo.



APHORISMUS XXV.

INtrà fines exempli, vel citrà potiùs, ſe cohibeto, nec illos ullo modo excedito. Ubi enim non adeſt norma legis, omnia quaſi pro ſuſpectis habenda ſunt. Itaque ut in obſcuris, minimum ſequitor.






APHORISMUS XXVI.

CAvendum ab exemplorum fragmentis & compendiis : atque integrum exemplum, & universus ejus processus introspiciendus. Si enim incivile sit, nisi totâ lege perspectâ, de parte ejus judicare, multo magis hoc valere debet in exemplis, quæ ancipitis sunt usûs, nisi valdè quadrent.






APHORISMUS XXVII.

IN exemplis plurimùm intereſt, per quas manus tranſierint, & tranſacta ſint. Si enim apud ſcribas tantùm, & Miniſtros juſtitiæ, ex curſu curiæ, abſque notitiâ manifeſtâ ſuperiorum, obtinuerint; aut etiam apud errorum magiſtrum populum; conculcanda ſunt, & parvi facienda. Sin apud Senatores, aut Judices, aut curias principales, ita ſub oculis poſita fuerint, ut neceſſe fuerit illa, approbatione judicum, ſaltem tacitâ, munita fuiſſe, plus dignationis habent.



APHORISMUS XXVIII.

EXemplis, quæ publicata fuerint, utcunque minus fuerint in uſu, cùm tamen ſermonibus, & diſceptationibus hominum, agitata & ventilata extiterint, plus autoritatis tribuendum. Quæ verò in ſcriniis & archivis manſerunt, tanquam ſepulta, & palam in oblivionem tranſierunt, minùs. Exempla enim, ſicut aquæ, in profluente ſaniſſima.






APHORISMUS XXIX.

EXempla, quæ ad leges ſpectant, non placet ab hiſtoricis peti; ſed ab actis publicis, & traditionibus diligentioribus: verſatur enim infelicitas quædam inter hiſtoricos vel optimos, ut legibus, & actis judicialibus, non ſatis immorentur; aut ſi fortè diligentiam quandam adhibuerint, tamen ab authenticis longè varient.






APHORISMUS XXX.

EXemplum quod ætas contemporanea, aut proxima reſpuit, cùm caſus ſubindè recurreret, non facile admittendum eſt. Neque enim tantùm pro illo facit, quòd homines illud quandoque uſurparunt, quàm contra quod experti reliquerunt.





APHORISMUS XXXI.

EXempla in consilium adhibentur, non utique jubent, aut imperant. Igitur ita regantur, ut autoritas præteriti temporis flectatur ad usum præsentis (18).


Atque de informatione ab exemplis, ubi lex deficit, hæc dicta sint. Jam dicendum de curiis Prætoriis, & Censoriis.

---

(18) Quod ut plenè intelligatur, paulò ulterius progrediendum est. Quæ sit in unaquâque arte experientiæ autoritas ingens materia est & quæ non

possit paucioribus verbis concludi. Hanc non satis solvit Baconius. Jungatur tantum supra dictis una quædam observatio. Exempla in factis consistunt: facta factis utrum similia sint statuere, judicii est, & judicii quidem difficilis quod maxima debeat illustrare doctrina. Scilicet hic erit hujusce doctrinæ methodus. Ex eventu exemplorum, ut in medicina ex eventu remediorum, eruantur regulæ quæ stricte in ipsius facti metis concludantur: nihil addatur, nihil detrahatur, nisi quod evidenter extra rem fuit. Tum verò utrum hæ regulæ facto præsenti adæquatè respondeant, ipse rei intuitus demonstrabit. Sic non erit major facti quàm juris autoritas: sic erit ratio præponderans cæcis experimentis ad species, non suas translatis.






De Curiis Prætoriis & Censoriis.

APHORISMUS XXXII.

Curiæ ſunto & juriſdictiones, quæ ſtatuant ex arbitrio boni viri, & diſcretione ſanâ, ubi legis norma deficit. Lex enim, (ut antea dictum eſt) non ſufficit caſibus: ſed ad ea, quæ plerumque accidunt, aptatur. Sapientiſſima autem res tempus, (ut ab antiquis dictum eſt) & novorum caſuum quotidiè Auctor & Inventor (19).

(19) Offert hic titulus in distinctione curiarum & jurisdictionum systema quoddam novum, non satis necessarium, forsan etiam malè intellectum cùm supponat non esse jus quibuslibet judicibus ex arbitrio boni viri & discretione sanâ statuendi. An sunt ergo, aut esse possunt judices cujusvis ordinis constituti ut injuriæ non juri famulentur? An esse potest alia judiciorum norma quàm arbitrium boni viri & discretio sana? Nec fas est dicere legem aliud quidpiam exposcere. Lex non sufficit casibus, sed dum in suo casu quod æquum visum est statuit, cæteros permittit arbitrio boni viri. Novi casus sunt ii qui extra regulam sunt. Regantur ergo jure novo, scilicet arbitrio boni & docti viri, & discretione sanâ. Vide plenius notam in Aph. XXXVII.



APHORISMUS XXXIII.

INterveniunt autem novi casus, & in criminalibus, qui pœnâ indigent; & in civilibus, qui auxilio. Curias, quæ ad priora illa respiciunt, Censorias; quæ ad posteriora, Prætorias appellamus.





APHORISMUS XXXIV.

HAbento curiæ Cenſoriæ juriſdictionem & poteſtatem, non tantùm nova delicta puniendi, ſed etiam pœnas à legibus conſtitutas, pro delictis veteribus augendi; ſi caſus fuerint odioſi, & enormes; modò non ſint capitales. Enorme enim, tanquam novum eſt (20).

(20) Hoc eſt quod dicimus, *en France les peines ſont arbitraires*, niſi lex pœnam regat. Habemus raras quaſdam pœnales leges quæ nullam cum vario caſuum numero proportionem habeant. De exceptione capitalium dicemus infra in Aph, XXXIX.




APHORISMUS XXXV.

HAbeant ſimiliter curiæ Prætoriæ poteſtatem tam ſubveniendi contra rigorem legis, quàm ſupplendi defectum legis. Si enim porrigi debet remedium ei, quem lex præteriit; multò magis ei, quem vulneravit (21).

(21) Id apud nos reſervat ſibi poteſtas publica, ne ab alio lex ſolvatur quàm à quo conditur: adde quod hæc eſt forma regni. Unica eſt poteſtas diverſa miniſteria. Sed reformare legem poteſtatis eſt, non miniſterii. Cæterùm quid intereſt unde veniat remedium, modo non deficiat?


APHO-



APHORISMUS XXXVI.

CUriæ iſtæ cenſoriæ, & prætoriæ omnino intra caſus enormes & extraordinarios ſe continento; nec Juriſdictiones ordinarias invadunto. Ne fortè tendat res ad ſupplantationem legis, magis quam ad ſupplementum.





APHORISM. XXXVII.

JUrisdictiones istæ, in supremis tantùm curiis residento, nec ad inferiores communicentur. Parùm enim abest à potestate leges condendi, potestas eas supplendi, aut extendendi, aut moderandi (22).

---

(22) Imò nullatenus abest. Lex, ut diximus, continet scriptum totius societatis de æquitate alicujus Regulæ testimonium. Judicium illud condidit potestas publica, promulgavit Magistratus, agnovit Populus. Quomodò possit dari cuipiam jus reformandi judicii hujus? Quan-

tò meliùs ergo juris regula, contra legem non eſt uſus ſed abuſus, & nemo audeat ſe ſapientiorem legibus dicere. Adde quòd nefas ſit dicere legem poſſe intra propria verba vulnerare. Extra illius verba deductum à lege argumentum ſatis ſolvitur, ſi quæpiam æquitas repugnet. Scilicet regulas à legibus expectamus, non judicia [de caſibus particularibus. Regula autem utrum caſui particulari applicetur, quæſtio eſt ex facto pendens, & arbitrio boni viri, & diſcretione ſanâ terminanda. Si non poſſit applicari citra injuriam, factum particulare ex quo illa naſcetur injuria, caſum à mente legis alienum facit. Satis eſt ergo, dum lex conficitur, perpendi ſedulò, & undequaque explorari, ne quidpiam ſit quod aut ſtatuto legis, aut ejus verbis malè conſonet. Non timeatur ab ea lege injuria quæ ſit omnibus ab Authore noſtro ſupra expreſſis caracteribus inſ-

tructa, & dum minister legis de illius applicatione statuet secundùm discretionem sanam, satis erit moderata lex.






APHORISM. XXXVIII.


AT curiæ illæ uni viro ne committantur, ſed ex pluribus conſtent. Nec decreta exeant cum ſilentio; ſed Judices ſententiæ ſuæ rationes adducant, idque palàm, atque aſtante coronâ: ut quod ipſâ poteſtate ſit liberum, famâ tamen & exiſtimatione ſit circumſcriptum (23).

---

(23) Per illud eximiæ ſapientiæ principium ſit intellecta ratio conſtitutionum noſtrarum dum per publicas actiones prima quæque judicia volunt con-

ſici. Qui malè non agit, quare oderit lucem? Dum ergo aiunt Tyranni: *qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*; id ita verum eſt ſi vim & injuriam meditentur. Contra vir juſtus *non locutus eſt in occulto quidquam*. Sit igitur lux tenebris potior, nec admittatur obſcuritas niſi quam rei neceſſitas inducit.





APHORISMUS XXXIX.


RUbricæ ſanguinis ne ſunto ; nec de capitalibus in quibuſcunque curiis, niſi ex lege notâ & certâ pronunciato ; indixit enim mortem Deus ipſe priùs ; poſtea inflixit. Nec vita eripienda niſi ei, qui ſe in ſuam vitam peccare priùs noſſet (24).

(24) An non ſatis ſe novit in ſuum caput peccaſſe qui talem ſe præſtat, ut eo vivo ſit in proclivi quies publica ? An ergo metus eſt aliquis injuriæ in eum quem de medio tolli

publica expoſcit utilitas? An non dicta eſt lex ſupremam eſſe publicæ utilitatis rationem, & quod corruptum eſt *enſe recidendum ne pars ſincera trahatur*? In hujuſmodi homines ſeveritas, in cæteros clementia eſt. Exempla ſint apud nos varii caſus; in primis verò parricidium, & peccatum contra naturam, quæ graviſſimis cruciatibus non coerceri quis ſferat? Et ex uſu, ſine lege, ferro & igne eluuntur.







APHORISMUS XL.


IN curiis Cenſoriis calculum tertium dato; ut judicibus non imponatur neceſſitas, aut abſolvendi, aut condemnandi; ſed etiam ut non liquere pronunciare poſſint (25). Etiam Cenſoria non tantùm pœna, ſed & nota eſto: ſcilicet, quæ non infligat ſupplicium, ſed aut in admonitionem deſinat, aut reos ignominiâ levi, & tanquam rubore caſtiget (26).

---

(25) Apud nos *Le plus amplement informé.*

(26) *L'admonesté, les injonctions d'être plus circonspect à l'avenir. Les défenses de récidiver, les injonctions aux Juges de garder les Ordonnances, &c.*






APHORISMUS XLI.

IN curiis Cenſoriis, omnium magnorum criminum & ſcelerum actus inchoati & medii, puniantur; licet non ſequatur effectus conſummatus: iſque ſit earum curiarum uſus vel maximus: cùm & ſeveritatis interſit, initia ſcelerum puniri; & clementiæ, perpetrationem eorum (puniendo actus medios) intercipi (27).

---

(27) Nec cohibeat pœnam injuſtitiæ ſuſpicio quædam, cùm ſcelerum actus inchoati, & medii aliquod in ſe habeant ſcelus.



APHORISMUS LXII.


CAvendum imprimis, ne in curiis Prætoriis, præbeatur auxilium in casibus, quos lex non tam omisit, quàm pro levibus contempsit (28), aut pro odiosis remedio indignos judicavit.

---

(28) Si *de minimis non curat Prætor*, id non ideò fit quòd minima extra ejus ministerium sint, sed quòd in minimis major esset ex remedio, quàm ex ipso malo perturbatio.



APHO-



APHORISMUS XLIII.

MAximè omnium intereſt certitudinis legum, (de quâ nunc agimus) ne curiæ Prætoriæ intumeſcant & exundent in tantum, ut prætextu rigoris legum mitigandi, etiam robur, & nervos iis incidant, aut laxent; omnia trahendo ad arbitrium.





APHORISMUS XLIV.

DEcernendi contra ſtatutum expreſſum, ſub ullo æquitatis prætextu, curiis Prætoriis jus ne eſto. Hoc enim ſi fieret, judex prorsùs tranſiret in legiſlatorem, atque omnia ex arbitrio penderent (29).

(29) Habes in iis Aphoriſmis, præclara arbitrii moderamina, quæ exploſâ ſyſtematicâ illâ curiarum & judicum diſtinctione, poſſint ſibi applicare Judices omnes.





APHORISMUS XLV.

APud nonnullos receptum eſt, ut juriſdictio, quæ decernit ſecundùm æquum & bonum; atque illa altera, quæ procedit ſecundùm jus ſtrictum, iiſdem Curiis deputentur: apud alios autem, ut diverſis. Omnino placet Curiarum ſeparatio. Neque enim ſervabitur diſtinctio caſuum, ſi fiat commixtio juriſdictionum: ſed arbitrium legem tandem trahet (30).

(30) Jus ſtrictum ſi cum æ-

quo & bono decertet, jam injuria eſt: eo ſenſu *ſummum jus ſumma injuria*. Deleatur aliquando opprobrium illud, & prima, imò unica ſit judiciorum regula æquum & bonum. Juris autoritatem ſatis ſuſtinebit hæc regula, & benè eſt ſi utilitas contraria legem iniquam ſubvertit; nullum eſt periculum ab illuſtrato omnibus doctrinis hominis ſani arbitrio, & ſi doctrina deficiat, regula ipſa vulnerabit.





APHORISMUS XLVI.

NOn ſine cauſâ in uſum venerat apud Romanos, Album Prætoris, in quo præſcripſit, & publicavit, quomodò ipſe jus dicturus eſſet. Quo exemplo Judices in curiis Prætoriis, regulas ſibi certas, (quantùm fieri poteſt) proponere, eaſque publicè affigere debent. Etenim optima eſt lex, quæ minimum relinquit arbitrio judicis; optimus Judex, qui minimum ſibi. (31).

Verùm de Curiis iſtis

fusiùs tractabimus, cùm ad locum de Judiciis veniemus; obiter tantum jam locuti de iis, quatenùs expediant & suppleant omissa à lege.

---

(31) Atqui in jure omnis definitio periculosa, cùm non possint certæ regulæ confici, nisi per explorata in omnibus consequentiis suis, & probata per usum principia: scilicet id vitium est artis & neglectæ methodi.





De Retrospectione Legum.

APHORISMUS XLVII.

EST & aliud genus supplementi casuum omissorum, cûm lex legem supervenit, atque simul casus omissos trahit. Id fit in legibus, sive statutis, quæ retrospiciunt, ut vulgò loquuntur. Cujus generis leges, rarò, & magnâ cum cautione (32) sunt adhibendæ: neque enim placet Janus in legibus.

(32) Dixerim & non nisi

in ſuo caſu : ſcilicet quibus in caſibus lex non iniquè retroſpiciat, principia certa præfiniunt & eſt hæc materia ſequentium Aphoriſmorum.





APHORISMUS XLVIII.

QUi verba, aut ſententiam legis, captione, & fraude eludit, & circumſcribit, dignus eſt, qui etiam à lege ſequente innodetur. Igitur in caſibus fraudis, & evaſionis doloſæ, juſtum eſt, ut leges retroſpiciant, atque alteræ alteris in ſubſidiis ſint; ut qui dolos meditatur, & everſionem legum præſentium, ſaltem à futuris metuat.





APHORISMUS XLIX.


LEges, quæ actorum & inſtrumentorum veras intentiones, contra formularum aut ſolemnitatum defectus roborant & confirmant, rectiſſimè præterita complectuntur. Legis enim, quæ retroſpicit, vitium vel præcipuum eſt, quòd perturbet. At hujuſmodi leges confirmatoriæ, ad pacem & ſtabilimentum eorum quæ tranſacta ſunt, ſpectant. Cavendum tamen eſt, ne

convellantur res judicatæ (33).

---

(33) Habemus hujusce rei recens & adhuc flagrans exemplum in Regiâ Declaratione 6 Martii 1751, quæ dum pronuntiat conscribendas fuisse ipsius Notarii manu Testamentorum mysticorum inscriptiones, statuto non novo, jubet tamen valere eas quæ, præterito tempore, manu alienâ scriptæ reperientur.





APHORISMUS L.


DIligenter attendendum, ne eæ leges tantùm ad præterita reſpicere putentur, quæ anteacta infirmant: ſed & eæ, quæ futura prohibent & reſtringunt, cum præteritis neceſſariò connexa. Veluti, ſi quæ lex artificibus aliquibus interdicat, ne mercimonia ſua in poſterum vendant: hæc ſonat in poſterum, ſed operatur in præteritum: neque enim illis

aliâ

aliâ ratione victum quærere jam integrum est (34).

---

(34) Sic dum constitutio 1735 de Testamentis apud nos confirmat ea Testamenta quæ ante constitutionem confecta testabitur publica authenticitas: & sic ubique passim in legibus.





APHORISMUS LI.

LEx declaratoria omnis, licet non habeat verba de præterito, tamen ad præterita, ipsâ vi declarationis, omnino trahitur. Non enim tum incipit interpretatio cùm declaratur, ſed efficitur tanquam contemporanea ipſi legi. Itaque leges declaratorias ne ordinato, niſi in caſibus, ubi leges cum juſtitiâ retroſpicere poſſint (35).

Hîc verò eam partem abſolvimus, quæ tractat de incertitudine legum

ubi invenitur lex nulla. Jam dicendum eſt de alterâ illâ parte, ubi ſcilicet lex extat aliqua, ſed perplexa, & obſcura.

---

(35) Scilicet titulus Declarationem non faciat, aut ſaltem licitum ſit omiſſo titulo ſtatutum novum à Declaratione ſejungere, ut illud non retroſpiciat.





De obſcuritate legum.

APHORISMUS LII.

OBſcuritas legum, à quatuor rebus originem ducit; vel ab accumulatione legum nimiâ, præſertim admixtis obſoletis: vel à deſcriptione earum ambiguâ, aut minùs perſpicuâ, & dilucidâ: vel à modis enucleandi Juris neglectis, aut non bene inſtitutis; vel denique, à contradictione & vacillatione Judiciorum.




De accumulatione legum nimiâ.

APHORISMUS LIII.

DIcit Propheta, *Pluet ſuper eos laqueos:* non ſunt autem pejores laquei quàm laquei legum, præſertim pœnalium; ſi numero immenſæ & temporis decurſu inutiles, non lucernam pedibus præbeant, ſed retia potiùs objiciant.






APHORISMUS LIV.

DUplex in usum venit statuti novi condendi ratio: altera statuta priora circa idem subjectum confirmat & roborat, dein nonnulla addit aut mutat: altera abrogat & delet cuncta quæ ante ordinata sunt, & de integro legem novam & uniformem substituit. Placet posterior ratio. Nam ex priore ratione ordinationes deveniunt complicatæ & perplexæ, & quod instat agitur sanè, sed corpus legum interim redditur

vitiosum. In posteriore autem, major certè est adhibenda diligentia, dum de lege ipsa deliberatur; & anteacta scilicet evolvenda & pensitanda, antequam lex feratur; sed optimè procedit per hoc legum concordia in futurum.





APHORISMUS LV.

ERat in more apud Athenienſes ut contraria legum capita (quæ Anti-nomias vocant) quotannis à ſex viris examinarentur, & quæ reconciliari non poterant proponerentur populo, ut de illis certum aliquid ſtatueretur. Ad quorum exemplum, ii, qui poteſtatem in ſingulis politiis legum condendarum habent, per triennium, aut quinquennium, aut prout videbitur, Anti-nomias retrac-

tanto. Eæ autem à viris, ad hoc delegatis, priùs inſpiciantur & præparentur, & demùm comitiis exhibeantur, ut quod placuerit, per ſuffragia ſtabiliatur, & figatur.





APHORISMUS LVI.


Neque verò contraria legum capita reconciliandi, & omnia (ut loquuntur) ſalvandi; per diſtinctiones ſubtiles & quæſitas, nimis ſedula aut anxia cura eſto. Ingenii enim hæc tela eſt: atque utcunque modeſtiam quandam & reverentiam præ ſe ferat, inter noxia tamen cenſenda eſt; utpote quæ reddat corpus univerſum legum varium & malè conſutum. Meliùs eſt prorſus ut ſuccumbant deteriora, & meliora ſtent ſola.



APHORISMUS LVII.

OBſoletæ leges, & quæ abierunt in deſuetudinem, non minùs quàm Antinomiæ, proponantur à delegatis ex officio tollendæ. Cùm enim ſtatutum expreſſum regulariter deſuetudine non abrogetur, fit ut ex contemptu legum obſoletarum, fiat nonnulla autoritatis jactura etiam in reliquis: & ſequitur tormenti illud genus Mezentii, ut leges vivæ in complexu mortuarum perimantur. Atque omnino

cavendum eſt à gangrænâ in legibus.




APHORISMUS LVIII.

QUin & in legibus & ſtatutis obſoletis, nec noviter promulgatis, curiis Prætoriis interim contra eas decernendi jus eſto. Licet enim non malè dictum ſit, neminem oportere legibus eſſe ſapientiorem, tamen intelligatur hoc de legibus, cùm evigilent, non cùm dormitent: contra recentiora verò ſtatuta (quæ juri

juri publico nocere deprehenduntur) non utique Prætoribus, ſed Regibus, & ſanctioribus Conſiliis, & ſupremis Poteſtatibus auxilium præbendi jus eſto, earum executionem per Edicta aut Acta ſuſpendendo, donec redeant Comitia, aut hujuſmodi cœtus, qui poteſtatem habeant eas abrogandi, ne ſalus populi interim periclitetur.






De novis Digeſtis legum.

APHORISMUS LIX.


QUòd ſi leges aliæ ſuper alias accumulatæ, in tam vaſta excreverint volumina, aut tantâ confuſione laboraverint, ut eas de integro retractare, & in corpus ſanum & habile redigere, ex uſu ſit, id ante omnia agito; atque opus ejuſmodi opus heroïcum eſto: atque Auctores talis operis, inter Legiſlatores & Inſtauratores, ritè & meritò numerantor.



APHORISMUS LX.

HUjusmodi legum expurgatio, & Digestum novum, quinque rebus absolvitur. Primò, omittantur obsoleta, quæ Justinianus *antiquas fabulas* vocat. Deinde ex Antinomiis recipiantur probatissimæ, aboleantur contrariæ. Tertiò Homoionomiæ, sive leges quæ idem sonant, atque nil aliud sunt, quàm iterationes ejusdem rei, expungantur; atque una quæpiam ex iis, quæ ma-

ximè eſt perfecta, retineatur vice omnium. Quartò, ſi quæ legum nihil determinent, ſed quæſtiones tantùm proponant, eaſque relinquant indeciſas, ſimiliter faceſſant. Poſtremò, quæ verboſæ inveniuntur, & nimis prolixæ, contrahantur magis in arctum.






APHORISMUS LXI.


OMnino verò ex uſu fuerit, in novo Digeſto legum, leges pro jure communi receptas, quæ tanquam immemoriales ſunt in origine ſuâ, atque ex alterâ parte, ſtatuta de tempore in tempus ſuperaddita, ſeorſum digerere & componere: cùm in plurimis rebus, non eadem ſit, in jure diſcendo, juris communis, & ſtatutorum interpretatio, & adminiſtratio. Id quod fecit Tribo-

nianus in Digesto & Codice (56).

---

(56) Scilicet in Digestis Jus commune & doctrinam prudentum, in Codice superaddita, de tempore in tempus statuta, in quo tamen magis ad Autorum distinctionem, quàm ad materiam respexit.






APHORISMUS LXII.

VErùm in hujusmodi legum regeneratione, atque structurâ novâ, veterum legum, atque librorum, legis verba prorsus & textum retineto: licet per centones, & portiones exiguas eas excerpere necesse fuerit. Ea deinde ordine contexito. Et si enim fortasse commodiùs, atque etiam si ad rectam rationem respicias, meliùs hoc transigi posset per textum novum, quàm per hujus-

modi consarcinationem; tamen in legibus, non tam stilus, & descriptio, quàm auctoritas, & hujus patronus antiquitas spectanda est. Aliàs videri possit hujusmodi opus scholasticum potiùs quiddam, & methodus, quàm corpus legum imperantium (57).

(57) Exigua videtur hæc observatio & infantibus non hominibus scripta. Imperium legum in probos à persuasione, in improbos ab authoritate est. Nemo est quem persuadeat stylus verborum, aut antiquitatis color, qui nihil habet nisi quod diversitatem temporum oculis subjiciat. Unde nascetur suspicio posse esse pro diversis temporibus diversa principia.



APHORISMUS LXIII.


CONsultum fuerit in novo Digesto legum, vetera volumina non prorsus deleri, & in oblivionem cadere, sed in bibliothecis saltem manere; licet usus eorum vulgaris & promiscuus prohibeatur. Etenim in causis gravioribus, non abs re fuerit, legum præteritarum mutationes & series consulere, & inspicere; at certè solemne est antiquitatem præsentibus aspergere (58). Novum autem

hujusmodi corpus legum, ab iis, qui in politiis singulis habent potestatem legislatoriam, prorsus confirmandum est; ne fortè prætextu veteres leges digerendi leges novæ imponantur occultò (59).

---

(58) Quantùm ad intellectum legum, & enucleandam earum mentem Historiæ & progressus juris scientia proficiat, satis perspicuum est, cùm illa scientia fontem aperiat diversarum quæ undequaque confluxere idearum, & interpretem in ipsâ Legislatoris deliberatione collocet.

(59) Scilicet non sine accurato examine: secùs, si non reclamet potestas publica, dum ejus nomen alicui paginæ præfigitur, videtur ipsa falsum condonare, imò & facere legitimum,




APHORISMUS LXIV.

OPtandum esset, ut hujusmodi legum instauratio, illis temporibus suscipiatur, quæ antiquioribus, quorum acta & opera retractant, literis & rerum cognitione præstiterint. Quod secùs in opere Justiniani evenit. Infelix res namque est, cùm ex judicio & delectu ætatis minùs prudentis & eruditæ, antiquorum opera mutilentur, & recomponantur. Verumtamen

ſæpè neceſſarium eſt quod non optimum.

Atque de legum obſcuritate, quæ à nimiâ, & confusâ earum accumulatione fit, hæc dicta ſint, jam de deſcriptione earum, ambiguâ & obſcurâ, dicendum.



De



De descriptione legum perplexâ & obscurâ.


APHORISMUS LXV.


DEscriptio legum obscura oritur, aut ex loquacitate & verbositate earum, aut rursus ex brevitate nimiâ, aut ex Prologo legis, cum ipso corpore legis pugnante (60).

---

(60) Omittitur hic fons dives nimis obscuritatis & litium ex legibus : cùm lex nova antecedentibus & adhuc vigentibus principiis non consonat. Inde legis cum lege, imò sæpe

legis cum ratione durum certamen in quo altera ab alterâ vulneratur, ſcilicet legem condere opus eſt perfectæ Juriſprudentiæ. Sed hic de his tantum vitiis eſt ſermo quæ in ipſo legis corpore poſſunt deprehendi.





APHORISMUS LXVI.

DE obſcuritate verò legum, quæ ex earum deſcriptione pravâ oritur, jam dicendum eſt. Loquacitas, quæ in perſcribendo leges in uſum venit, & prolixitas, non placet. Neque enim, quod vult & captat, ullo modo aſſequitur, ſed contrarium potiùs. Cùm enim caſus ſingulos particulares, verbis appoſitis & propriis perſequi & exprimere contendat, majorem inde ſperans certitu-

dinem, è contra quæſtiones multiplices parit de verbis; ut difficiliùs procedat interpretatio ſecundùm ſententiam legis, (quæ ſanior eſt & verior) propter ſtrepitum verborum.






APHORISMUS LXVII.

NEque propterea nimis concisa & affectata brevitas, majestatis gratiâ, & tanquam magis imperatoria, probanda est; præsertim his seculis, ne fortè sit lex instar regulæ Lesbiæ. Mediocritas ergo assectanda est; & verborum exquirenda generalitas, bene terminata; quæ licet casus comprehensos non sedulò persequatur, attamen non comprehensos satis perspicuè excludat (61).

(61) In primis verò accuratus verborum delectus, ut idipſum verba ſonent quod dicere mens fuit, in quo etiam eſt laboris pars non temnenda, & utilis doctrina artificis, cùm non poſſit niſi præpotens doctrina genuinum illum & adæquatum verborum uſum edocere. Nullum aliud vitium familiare magis, nullum majus legum autoritati impedimentum quàm non ſuis verbis, non ſuo ſenſu reddita mens legiſlatoris.






APHORISMUS LXVIII.

IN legibus tamen, atque edictis ordinariis, & politicis, in quibus, ut plurimum, nemo juriſconſultum adhibet, ſed ſuo ſenſui confidit, omnia fuſius explicari debent & ad captum vulgi, tanquam digito monſtrari (62).

(62) Nullas eſſe reor leges in quibus non ſatis fusè, nullas in quibus fusè nimis res ſit explicanda. Tantummodo diverſitas materiæ diverſitatem ſtyli faciet, ut aliquando ſatis ſit dictum eſſe Juriſconſultis, aliquando ſit cum ipsâ plebe collocutio, ex familiari dicendi uſu ſumenda.



APHORISMUS LXIX.

NEque nobis prologi legum, qui inepti olim habiti ſunt, & leges introducunt diſputantes, non jubentes, utique placerent, ſi priſcos mores ferre poſſemus. Sed prologi iſti legum plerumque (ut nunc ſunt tempora) neceſſariò adhibentur, non tam ad explicationem legis, quàm inſtar ſuaſionis, ad perferendam legem in comitiis; & rurſus ad ſatisfaciendum populo. Quan-

tùm fieri poteſt tamen prologi evitentur, & lex incipiat à juſſione (63).

---

(63) Hæc eſt prologorum utilitas, (& ſit utilitas regula) ut mentem Legiſlatoris aperiant, digito monſtrent cui malo quæſitum ſit remedium, ut malo cognito pretioſum ſit remedium, & ſuis caſibus applicabile, ne per formulas malè intellectas procedat medela.



✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻


APHORISMUS LXX.

INtentio & ſententia legis, licet ex præfationibus, & præambulis (ut loquuntur) non malè quandoque eliciatur; attamen latitudo aut extenſio ejus, ex illis minimè peti debet. Sæpe enim præambulum arripit nonnulla ex maximè plauſibilibus, & ſpecioſis ad exemplum, cùm lex tamen multò plura complectatur: aut contra, lex reſtringit, & limitat complura, cujus li-

mitationis rationem, in præambulo inſeri, non fuerit opus. Quare dimenſio & latitudo legis ex corpore legis petenda. Nam præambulum, ſæpe aut ultra aut citra cadit (64).

---

(64) Referatur hæc obſervatio ad plurimas illas legum corpori neceſſarias accedentes cautelas, ut ex omni parte juſta ſit lex & utilis; cæterùm in ipſo legis ſolo, unde meliùs ejus latitudinem dimetiantur quam ex latitudine utilitatis quàm habuit in propoſito, unde meliùs ſtatuetur an applicetur remedium quàm ex cognito mali caractere?




APHORISMUS LXXI.

EST verò genus perſcribendi leges valdè vitioſum. Cùm ſcilicet caſus ad quem lex collimat, fusè exprimitur in præambulo: deinde ex vi verbi (talis) aut hujuſmodi, relativi, corpus legis retro vertitur in præambulum, unde præambulum, inſeritur, & incorporatur ipſi legi: quod & obſcurum eſt, & minùs tutum, quia non eadem adhiberi conſuevit diligentia in ponderandis

dis & examinandis verbis præambuli, quæ adhibetur in corpore ipſius legis.

Hanc partem de incertitudine legum, quæ ex malâ deſcriptione ipſarum ortum habet, fuſiùs tractabimus quando de interpretatione legum poſtea agemus. Atque de deſcriptione legum obſcura hæc dicta ſint; jam de modis enucleandi juris dicendum.





De modis enucleandi Juris, & tollendi ambigua.

APHORISMUS LXXII.

MOdi enucleandi Juris, & tollendi dubia, quinque ſunt. Hoc enim fit, aut per perſcriptiones judiciorum; aut per ſcriptores authenticos; aut per libros auxiliares; aut per prælectiones; aut per reſponſa, ſive conſulta prudentum, hæc omnia, ſi benè inſtituantur, præ-


ſto erunt magna legum obſcuritati ſubſidia (65).

---

(65) Liceat hic conqueri non ſatis implere pactam fidem Authorem noſtrum, dum in procemio Juriſconſultos, à civilibus hominibus ſeparatos, facit à causâ alienos. Atqui Juriſconſultus eſt non civilis homo, & *verè tanquam è vinculis ſermocinatur*, *non utens ſincero judicio*, dum nos adhuc in ſtricto traditivi juris gyro concludit. Habemus *perſcriptiones judiciorum*. Nullius generis libri nobis deſunt, habemus & ſatis explicatas leges : Juriſprudentiam ipſam non habemus. Scilicet ſinimus nos torrente abripi ut inſiſtamus veſtigiis eorum qui nos præceſſerunt ; unde contingit ut ſi fuerit in primo progreſſu error ſit error ille immedicabilis. Atqui civilis homo præcipuum habet

rectæ rationis & exploratæ utilitatis ſuffragium, nec ullos agnoſcit radios niſi quos fax illa emiſit. Illuc ergo recto tramite tendendum eſt : hinc ad cætera, nullo gradu omiſſo deſcendendum. Quid ſit in jure recta ratio, quid æquitas, quid evidentia, & inde quæ legum vis, quomodo non poſſit lex cum ratione colluctari, quæ res legem admittant, quæ non, tum verò ex altera parte libera & nunquam unanimi conſenſu terminanda jurgia, uno verbo, qui juſtum ab injuſto, utile ab iniquo limites ſeparent ſcire operæ pretium erat. Debuitne hoc nobis incutere deſiderium vir magnus, dum ſe probat potuiſſe, voti nos facere compotes.





De perſcriptione Judiciorum.

APHORISMUS LXXIII.

ANte omnia judicia reddita in curiis ſupremis & principalibus, atque cauſis gravioribus, præſertim dubiis, quæque aliquid habent difficultatis, aut novitatis, diligenter & cum fide excipiunto. Judicia enim anchoræ legum ſunt, ut leges reipublicæ (66).

(66) Atqui prævalet apud nos hodie, non eſſe definitam ju-

dicio controversiam, nisi inter eos inter quos acta res est. Scilicet cùm in omni sententiâ duplex sit definitio, primùm quidem id juris esse in eo facto; secundò id factum probatum esse, facti judicium ad speciem pertinet, sed non possunt non suffundi pudore aliquo judices, si juris definitio non nitatur æquitate generali & similibus casibus applicandâ. Ita erunt anchoræ juris judicia.






APHORISMUS LXXIV.

MOdus hujuſmodi judicia excipiendi, & in ſcripta referendi, talis eſto. Caſus præcisè, judicia ipſa exactè perſcribito; rationes judiciorum, quas adduxerunt Judices, adjicito; caſuum, ad exemplum adductorum, auctoritatem, cum caſibus principalibus, ne commiſceto; de Advocatorum perorationibus, niſi quidpiam in iis fuerit admodum eximium, ſileto (67).

(67) Quare obſtruatur fons aliquis plenioris luminis, dummodo ſciant ſe commonitos, qui uti illis debent, præparationem eſſe non regulam judiciorum Advocatorum perorationes.






APHORISMUS LXXV.

PErſonæ, quæ hujuſmodi judicia excipiant, ex Advocatis maximè doctis ſunto (68), & honorarium liberale ex publico excipiunto. Judices ipſi ab hujusmodi perſcriptionibus abſtinento; ne fortè opinionibus propriis addicti, & auctoritate propria freti, limites referendarii tranſcendant.


(68) Et à causâ alienis; infrà eſt ratio quæ ſi in Judicibus locum habet, in Advocatis eſt longè fortior.



APHORISMUS LXXVI.

Judicia illa, in ordine, ſerie temporis, digeri- to, non per methodum & titulos. Sunt enim ſcrip- ta ejuſmodi tanquam hiſ- toriæ, aut narrationes legum. Neque ſolùm acta ipſa, ſed & tempora ip- ſorum, Judici prudenti, lucem præbent.







De Scriptoribus authenticis.

APHORISMUS LXXVII.

Ex legibus ipſis, quæ jus commune conſtituunt; deinde ex conſtitutionibus ſive ſtatutis; tertio loco ex judiciis perſcriptis, corpus juris tantummodo conſtituitor, præter illa, alia authentica, aut nulla ſunto, aut parcè recipiuntor.





APHORISM. LXXVIII.


NIhil tam intereſt certitudinis legum (de quâ nunc tractamus) quàm ut ſcripta authentica, intra fines moderatos, coerceantur & faceſſat multitudo enormis Auctorum, & Doctorum in jure; unde laceratur ſententia legum, Judex fit attonitus, proceſſus immortales, atque Advocatus ipſe, cùm tot libros perlegere & vincere non poſſit, compendia ſectatur. Gloſſa fortaſſe aliqua bona; & ex


ex Scriptoribus classicis pauci, vel potiùs scriptorum paucorum pauculæ portiones, recipi possint pro authenticis. Reliquorum nihilominus maneat usus nonnullus in bibliothecis, ut eorum tractatus inspiciant Judices, aut Advocati, cùm opus fuerit: sed in causis agendis, in foro citare eos non permittitor, nec in auctoritatem transeanto (69).

---

(69) Veritas evidens ubicumque sit authentica, sed citrà veritatis authoritatem, remittatur ad auxiliares libros quidquid ex placito suo congessit Author cujusvis nominis, neque enim est in nominibus authoritas ulla.

Cæterùm sedulò perpendantur fines qui authoritatem ab eruditione separant, quibus non satis cognitis permixta omnia videre est.






De libris auxiliaribus.

APHORISMUS LXXIX.

AT ſcientiam juris, & practicam, auxiliaribus libris ne nudanto, ſed potiùs inſtruunto. Ii ſex in genere ſunto. Inſtitutiones. De verborum ſignificatione. De regulis juris. Antiquitates legum. Summæ. Agendi formulæ.





APHORISMUS LXXX.

PRæparandi ſunt juvenes & novitii ad ſcientiam, & ardua juris, altiùs & commodiùs haurienda, & imbibenda, per inſtitutiones. Inſtitutiones illas, ordine claro & perſpicuo componito. In illis ipſis, univerſum jus privatum percurrito; non alia omittendo, in aliis plus ſatis immorando, ſed ex ſingulis quædam breviter delibando, ut ad corpus

legum perlegendum acceſſuro, nil ſe oſtendat prorsùs novum, ſed levi aliquâ notione præceptum. Jus publicum in inſtitutionibus ne attingito, verùm illud ex fontibus ipſis hauriatur (70).

(70) De inſtitutionibus vide Præfationem noſtram.





APHORISM. LXXXI.

COmmentarium de vocabulis juris conficito. In explicatione ipſorum, & ſenſu reddendo, ne curiosè nimis aut laboriosè verſator. Neque enim hoc agitur, ut diffinitiones verborum quærantur exactè, ſed explicationes tantùm, quæ legendis juris libris viam aperiant faciliorem (71). Tractatum autem iſtum, per literas alphabeti ne degerito: id indici alicui relinquito: ſed collocen-

tur ſimul verba quæ circa eandem rem verſantur, ut alterum alteri ſit juvamento ad intelligendum.

---

(71) Non ſuadetur minutiſſimum Grammaticorum ſtudium, ſed nil ſit in verbis ultra aut citra ideam.





APHORISM. LXXXII.


AD certitudinem legum facit, (si quid aliud) tractatus bonus & diligens, de diversis regulis juris. Is dignus est, qui maximis ingeniis, & prudentissimis Jure Consultis, committatur. Neque enim placent, quæ in hoc genere extant. Colligendæ autem sunt regulæ, non tantùm notæ & vulgatæ, sed & aliæ magis subtiles & reconditæ, quæ ex legum, & rerum judicatarum harmoniâ extrahi

possint; quales in rubricis optimis quandoque inveniuntur: suntque dictamina generalia rationis, quæ per materias legis diversas percurrunt, & sunt tanquam saburra juris (72).

---

(72) Hoc ipsum est quod quærimus & sit ille nobis pro aliis omnibus liber, collectio principiorum, sive elementorum ex quibus doctrina formatur. Quid intelligamus per principia aut elementa diximus in Præfatione.





APHORISM. LXXXIII.

AT ſingula juris ſcita, aut placita, non intelligantur pro regulis, ut fieri ſolet ſatis imperitè. Hoc enim ſi reciperetur, quot leges, tot regulæ. Lex enim nil aliud quàm regula imperans. Verùm eas pro regulis habeto, quæ in formâ ipsâ juſtitiæ hærent: unde, ut plurimùm, per jura civilia diverſarum rerumpublicarum eædem regulæ ferè reperiuntur; niſi fortè propter relatio-

nem ad formas politiarum varient (73).

---

(73) Scilicet regulæ aliæ ſunt juris naturalis, quæ in nudâ ratione & evidente utilitate fontem habent, aliæ juris gentium, quæ licet ad ipſam naturam animantis rationalis non pertineant, tamen propter commune ſocietatis fædus ab omnibus gentibus, quaſi tacito quodam pacto receptæ ſunt, aliæ denique juris civilis, quæ, à conſulente civibus authoritate publicâ reputatæ ſunt utiles, & habet præſumptionem veritatis hoc judicium. Uberior eſt hæc materia, quàm quæ poſſit paucioribus verbis comprehendi. Hîc addemus tantùm ad materiam hujus Aphoriſmi non ipſum legis ſtatutum regulam eſſe, ſed in ſtatuti mente inquirendam eſſe rationem utilitatis quæ ſtatutum ſuaſit, & inde eruendam regu-

lam, cùm verè regula ſit utilitas publica. Hîc junge tamen non omnium quæ à majoribus tradita ſunt rationem reddi poſſe. Scilicet occurrunt plurimi caſus qui incerto ſemper traherentur arbitrio, ni obicem ſtatutum fluctuanti judicio poneret: in his non alia quærenda utilitatis ratio quàm ipſius regulæ neceſſitas. Inde contrariæ in diverſis regionibus regulæ parem poſſunt habere æquitatem.






APHORISM. LXXXIV.

POſt regulam, brevi & ſolido verborum complexu enuntiatam, adjiciantur exempla, & deciſiones caſuum, maximè luculentæ ad explicationem; diſtinctiones, & exceptiones ad limitationem; cognata ad ampliationem ejuſdem regulæ (74).

---

(74) Adverte hîc & in toto tractatu per hoc verbum *Regula* intelligi formulam quæ principium exprimit, non ipſum principium, ut verè dicatur,

formulam ex principio non principium ex formula peti debere. In quo ſatis familiaris error, cùm rubricis mille obruimur & ad injuſtitiam per juris regulas protrahimur.






APHORISM. LXXXV.

RECtè jubetur, ut non ex regulis jus ſumatur, ſed ex jure quod eſt, regula fiat. Neque enim ex verbis regulæ petenda eſt probatio, ac ſi eſſet textus legis. Regula enim legem (ut acus nautica polos) indicat, non ſtatuit.





APHORISM. LXXXVI.

PRæter corpus ipſum juris, juvabit etiam antiquitatis legum inviſere, quibus, licet evanueri tauctoritas, manet tamen reverentia (75): pro antiquitatibus autem legum habeantur ſcripta circa leges & judicia, ſive illa fuerint edita, ſive non, quæ ipſum corpus legum tempore præceſſerunt. Earum ſiquidem jactura facienda non eſt. Itaque ex iis, utiliſſima quæque excerpito (multa enim in-

venientur inania & frivola) eaque in unum volumen redigito : ne antiquæ fabulæ, ut loquitur Tribonianus, cum legibus ipſis miſceantur.

---

(75) Nec reverentia tantùm iis antiquitatibus ineſt, ſed & fides in atteſtatione progreſſûs & hiſtoriæ legum, quæ quantùm ad verum rei intellectum conducant ſatis uſu compertum eſt.





APHORISM. LXXXVII.

PRacticæ verò plurimùm intereſt, ut jus univerſum digeratur ordine, in locos & titulos, ad quos ſubitò (prout dabitur occaſio) recurrere quis poſſit, veluti in promptuarium paratum ad præſentes uſus. Hujuſmodi libri ſummarum, & ordinant ſparſa, & abbreviant fuſa & prolixa in lege. Cavendum autem eſt ne ſummæ iſtæ reddant homines promptos ad practicam, ceſſatores in ſcien-

tiâ ipsâ. Earum enim officium est tale, ut ex iis recolatur jus, non perdiscatur. Summæ autem omninò, magnâ diligentiâ, fide & judicio, sunt conficienda, ne furtum faciant legibus.





APHORISM. LXXXVIII.

FOrmulas agendi diversas, in uno quoque genere colligito. Nam & practicæ hoc interest; & certè pandunt illæ oracula & occulta legum. Sunt enim non pauca, quæ latent in legibus: at in formulis agendi, meliùs & fusiùs perspiciuntur, instar pugni & palmæ.







De Responsis & Consultis.

APHORISM. LXXXIX.

DUbitationes particulares, quæ de tempore in tempus emergunt, dirimendi & solvendi, aliqua ratio iniri debet. Durum enim est, ut ii, qui ab errore cavere cupiant, ducem viæ non inveniant; durum ut actus ipsi periclitentur, neque sit aliquis ante rem peractam juris prænoscendi modus.





APHORISMUS XC.

RESponſa prudentum, quæ petentibus dantur de jure, ſive ab Advocatis, ſive à Doctoribus, tantâ valare auctoritate, ut ab eorum ſententiâ, Judici recedere non ſit licitum, non placet; jura à juratis Judicibus ſumunto (76).

---

(76) Scilicet ex veritate naſcitur omnis doctrinæ authoritas; veritatem armare miniſterium eſt Judicis, qui ex ſuâ non ex alienâ mente poteſt eam agnoſcere.






APHORISMUS XCI.

TEntari judicia, per causas & personas fictas, ut eo modo experiantur homines, qualis futura sit legis norma, non placet. Dedecorat enim majestatem legum, & pro prævaricatione quapiam censenda est. Judicia autem aliquid habere ex scenâ deforme est.





APHORISMUS XCII.

JUdicum igitur ſolummodò, tam judicia, quàm reſponſa, & conſulta, ſunto. Illa de litibus pendentibus, hæc de arduis juris queſtionibus in theſi. Ea conſulta, ſive in privatis rebus, ſive in publicis, à Judicibus ipſis ne poſcito, (id enim ſi fiat, Judex tranſeat in Advocatum) ſed à principe, aut ſtatu. Ab illis, ;ad Judices demandentur. Judices verò, tali auctoritate freti, diſceptationes Advocatorum, vel

vel ab his, quorum intereſt, adhibitorum, vel à Judicibus ipſis, ſi opus ſit, aſſignatorum, & argumenta ex utrâque parte audiunto; & re deliberatâ jus expediunto, & declaranto. Conſulta hujuſmodi inter judicia referunto & edunto, & paris auctoritatis ſunto (77).

---

(77) Exponitur hîc ſyſtema peculiare Authoris; aliud dedit nobis uſus; diſtingui poſſunt apud nos, 1° Reſcripta Principis quæ de arduis & difficilibus legum nodis à Principe emittuntur, cùm ſit proximum juri legis condendæ, jus interpretationis, vulgò, *Déclarations du Roi.*
2°. Teſtimonia uſûs aut con-

ſuetudinis non ſcriptæ vulgò, *Actes de notoriété*, quæ à Miniſtris conſuetudinis, id eſt, à Judicibus petuntur. Ac 3º. denique reſponſa prudentum, tum litibus, tum in theſi arduis juris quæſtionibus applicanda, cùm non aliunde poſſit quæri veritas quàm ex doctrinâ. Sic diverſa ſunt pro variis ordinibus miniſteria, nec tranſit Judex in Advocatum aut vice verſâ.





De Prælectionibus.

APHORISMUS XCIII.

PRælectiones de jure, atque exercitationes eorum, qui juris ſtudiis incumbunt, & operam dant, ita inſtituuntor, & ordinantor, ut omnia tendant ad quæſtiones, & controverſias de jure, ſedandas potiùs quàm excitandas. Ludus enim (ut nunc fit) ferè apud omnes inſtituitur, & aperitur, ad altercationes, & quæſtiones de jure

multiplicandas, tanquam ostentandi ingenii causâ. Atque hoc vetus est malum. Etenim, etiam apud antiquos gloriæ fuit, tanquam per sectas & factiones, quæstiones complures de jure, magis fovere quàm extinguere. Id ne fiat, provideto.





De vacillatione Judiciorum.

APHORISMUS XCIV.

VAcillant judicia, vel propter immaturam & præfestinam sententiam; vel propter æmulationem curiarum; vel propter malam & imperitam perscriptionem judiciorum; vel propter viam præbitam ad rescisionem eorum nimis facilem & expeditam. Itaque providendum est, ut judicia emanent, maturâ deli-

beratione priùs habitâ, atque ut curiæ se invicem revereantur; atque ut judicia perscribantur fideliter & prudenter, utque via ad rescindenda judicia, sit arcta, confragosa, & tanquam muricibus strata.





APHORISMUS XCV.

SI judicium redditum fuerit, de caſu aliquo, in aliquâ curia principali, & ſimilis caſus intervenerit, in alia curiâ, ne procedito ad judicium, antequam fiat conſultatio in collegio aliquo Judicum majore; judicia enim reddita, ſi fortè reſcindi neceſſe ſit, ſaltem ſepeliuntor cum honore(78).

---

(78) Nunquam aliàs ad unanimem conſonantiam redigentur diverſæ curiæ, imò una &

eadem curia, nisi per præpotentem veritatem, aut si ea desit, per præsumptam veritatem, qualem leges habent: secùs non potest semper oculis subesse rerum à principio judicatarum tabula perpetua ne judicium à judicio vituperetur.






APHORISMUS XCVI.

UT curiæ de juriſdictione digladientur, & conflictentur, humanum quiddam eſt; eòque magis, quòd per ineptam quandam ſententiam, quòd boni & ſtrenui ſit Judicis ampliare juriſdictionem curiæ, alatur planè iſta intemperies, & calcar addatur, ubi fræno opus eſt. Ut verò, ex hâc animorum contentione, curiæ, judicia utrobique reddita, quæ nil ad ju-

risdictionem pertinent) libenter rescindant, intolerabile malum; & à Regibus, aut Senatu, aut Politiâ planè vindicandum. Pessimi enim exempli res est, ut curiæ, quæ pacem subditis præstant, inter se duella exerceant.





APHORISMUS XCVII.

NOn facilis esto, aut proclivis, ad judicia rescindenda, aditus, per appellationes, aut impetitiones de errore, aut revisus, & similia. Receptum apud nonnullos est, ut lis trahatur ad forum superius, tanquam res integra; judicio inde dato seposito, & planè suspenso. Apud alios verò, ut judicium ipsum maneat in suo vigore, sed executio ejus tantùm cesset: neutrum placet; nisi

curiæ, in quibus judicium redditum ſit, fuerint humiles, & inferioris ordinis: ſed potiùs, ut & judicium ſtet, & procedat ejus executio, modò cautio detur à defendente, de damnis & expenſis, ſi judicium fuerit reſciſſum (79).

---

(79) Quâ ratione non poſſint unico judicio definiri controverſiæ, ac utile ſit deferri primùm ad judices controverſias, qui non poſſint ſententias ferre plus valituras prudentum reſponſis, imò nec tantùm valituras cùm nullo doctrinæ apparatu inſtructæ ſint, quid ex repetitâ de gradu in gradum cognitione reſultet præter moras, labores, expenſas, quæſtio magna


gna eſt & difficilis. Facit contra pro appellationibus, quod cùm illas non exeruiſſet prima rerum Gallicarum hiſtoria, uſu ipſo & quaſi exigente quâdam neceſſitate, renitentibus etiam legibus & clamantibus non licere cuipiam falſum dicere Domini ſui judicium, tamen prævaluerint, ut non liceat dubiam facere utilitatem quæ ſic uſu & ſæculorum experientiâ comprobata eſt; reſponderi poſſit forſitan natam ex antecedente malo hanc neceſſitatem, & in perfectiore politiâ ceſſare. Utut ſit, vigent appellationes & juris noſtri partem faciunt. Ergo licitum eſt poſt definitam ſententiâ litem agitare, non tantùm utrùm à primis judicibus peccatum ſit, ſed etiam utrùm, citra judicum offenſionem, juſta ſit necne ſententia. Quæ dum tractatur quæſtio, nulla poteſt eſſe ſententiæ auctoritas, ne vitioſo circulo, quæſtio per quæſtionem ſolvatur. Ergo res integra eſt,

& si executioni demandetur sententia quæ quæstionis materia est, lis ab executione incipiet; in his statuatur juxta naturalem æquitatis regulam. Dum res est in pendenti, ubi periculum in morâ, ibi vindiciæ sint, cautelis temperandæ, quæ possint omnia in tuto collocare. Si nullum utrimque in morâ periculum, nullæ pariter sint vindiciæ: sit res ut fuit, nihil innovetur: si sit utrimque periculum ponderetur in utrâque parte; & majus periculum vindicias trahat, si æquale, res neutri committatur, sed sequestro tradatur utriusque partis jura servaturo.

Hîc sistit gradum Author noster, non aliter proposito suo fidelis, nisi quòd nihil præter exemplum dedit. Videre est enim arreptam in profluente, & non ad primam originem revocatam principiorum seriem, tum trunca divisionum membra, nec satis explicatam operis informationem, ut possit se manus nova huic adjungere: qui tamen sa-

tis Reipublicæ consuluit, & satis se dignum favore societatis humanæ præstitit, si quæ sint rectæ rationis in jurisprudentiâ partes, quæ ex eâ doctrinâ expectetur utilitas, quam demùm præparet Ministris artis voluptatem retecta veritas non inutilis, per unum qualecumque exemplum ostenderit. Scilicet non revulsæ sunt spinæ, non aperta est via, sed posse revelli, posse aperiri, jam compertum habemus. Intelligant ergo quos aliquis publicæ utilitatis inflammat zelus. Ingenii gloria omnis ex utilitate est: & unde utilitas nisi ex veritate?

FINIS.



INDEX TITULORUM.



APPROBATION.

J'AI lû par l'Ordre de Monſeigneur le Chancelier un Manuſcrit intitulé : *Franciſci Baconii Exemplum Tractatûs de Juſtitia univerſali, ſive de Fontibus Juris, extractum ex ejuſdem Authoris opere de dignitate & augmentis Scientiarum.* L'empreſſement avec lequel on traduiſit cet Ouvrage en François, après la mort du Chevalier Bacon, fait préſumer que l'Edition Latine qu'on en donne aujourd'hui, ſera reçue favorablement du Public ; d'autant plus que ce Traité a déja été imprimé pluſieurs fois avec les autres Ouvrages du même Auteur. A l'égard des Notes dont cette nouvelle Edition eſt accompagnée, je n'y ai rien trouvé qui m'ait paru devoir en empêcher l'Impreſſion. A Paris, ce 21 Mars 1752. TERRASSON.

PERMISSION.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre, à nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maître des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénechaux, leurs Lieutenans-Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; Salut, notre amé PHILIPPE VINCENT Fils, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire imprimer, réimprimer & donner au Public des Ouvrages qui ont pour titre, *Franciſci Baconii exemplum tractatûs de Juſtitia univerſali, ſive de fontibus Juris*

in uno titulo per Aphoriſmos excerptum ex ejuſdem Authoris opere de dignitate & augmentis Scientiarum. La Liturgie Ancienne & Moderne, s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Permiſſion pour ce neceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer & réimprimer leſdits Ouvrages en un ou pluſieurs volumes, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre, faire vendre, & debiter par tout notre Royaume pendant le tems de trois années conſecutives, à compter du jour de la datte des Preſentes : Faiſons deffenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres perſonnes de quelque qualité & condi-

tion qu'elles ſoient d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance : A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris dans trois mois de la datte d'icelles, que l'impreſſion deſdits Ouvrages ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs en bon papier & beaux caracteres conformément à la feuille imprimée & attachée pour modele ſous le Contre-Sçel des Preſentes, que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725 ; qu'avant de l'expoſer en vente, les manuſcrits & imprimés qui auront ſervi de copie à l'im-

preſſion & réimpreſſion deſdits Ouvrages ſeront remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le ſieur DE LAMOIGNON, & qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France le ſieur DE LAMOIGNON, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier Garde des ſceaux de France le ſieur DE MACHAULT, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité deſdites Preſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de

faire jouir ledit Expoſant & ſes ayans cauſes pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons qu'à la copie des Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Ouvrages foi ſoit ajoûtée comme à l'original, Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de haro, charte Normande, & Lettres à ce contraires. Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Fontainebleau le huitiéme jour du mois de Novembre, l'an de grace mil ſept cent cinquante-un, &

de notre regne le trente-septiéme. Par le Roy en son Conseil.

SAINSON.

Registré sur le Registre XII. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N° 681. fol. 540. conformément aux anciens Réglemens confirmés par celui du 28 Février 1723. A Paris le 14 Décembre 1751.

 LE GRAS, *Syndic.*









BACO
DE
JUST

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

APHORISMUS XIV.

IN ſtatutis, quæ jus commune (præſertim circa ea, quæ frequenter incidunt, & diù coaluerunt) planè abrogant, non placet procedi per ſimilitudinem ad caſus omiſſos. Quando enim reſpublica totâ lege diù caruerit; idque in caſibus expreſſis; parùm periculi eſt, ſi caſus omiſſi expectent remedium à ſtatuto novo (13).

(13) Jus commune ſtatuta circumſcribit; quo jure ergo finitima ſtatuti regantur, quærere non eſt cùm in jure communi ſint.

APHORISMUS XV.

STatuta, quæ manifeſtò temporis leges fuêre, atque ex occaſionibus reipublicæ tunc invaleſcentibus natæ, mutatâ ratione temporum, ſatis habent, ſi ſe in propriis caſibus ſuſtinere poſſint: præpoſterùm autem eſſet, ſi ad caſus omiſſos ullo modo traherentur.

